



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per  
Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum,  
quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia  
Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 367. An & qualiter cooperantes ad usuras exigendas vel solvendas  
teneatur eas datas restituere.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)



mutui acceptum à mutuante sine pacto & intentione, seu spe accipiendi ultra sortem, ut nec, quod à mutuante acceptum & exactum supra sortem ratione ejus, quod interest, v. g. ratione damni emergentis, vel lucri cessantis ob dationem mutui, vel ratione pœnæ legalis aut conventionalis, quia hæc non cadunt sub usura prohibita, ut constat ex dictis. Pirh. *b. t. n. 728.* cum communi. Secundò: si, quod datum est mutuanti vi mutui supra sortem, est res frugifera, v. g. domus, prædium, pecus, aut simile quid, restituenda est una cum fructibus perceptis, cum hi percepti à possessore malæ fidei, imò & fructus, quos mutuarius percepisset, si rem retinisset, etsi mutans illos non percepit ob culpam vel negligentiam suam, cum sibi imputare debeat illam non-perceptionem. Arg. *c. gravis. de restitut. spoliat. l. in re. ff. de condit. furt. l. si navis. §. generaliter. de r. v. l. restituere. ff. de F. S.* quamvis, sicut & quilibet alius possessor malæ fidei, mutans detrachere possit expensas necessariò factas pro colligendis & conservandis fructibus; cum etiam à prædione deduci possint ac retineri, *l. 1. c. de fructib. l. si à domino. §. fin. ff. de hered. petit. Tholof. l. 3. de usur. c. 9. n. 5.* sed &, ut Azor. *p. 3. l. 5. de usur. c. 15.* restituere tenetur fructus, quos ipse percepit, etiamsi dominus illorum, seu mutuarius eos non percepit, sive ob casum fortuitum, sive ob negligentiam suam, quod probabiliter dici, ait Pirh. *l. c.* contra quosdam apud Tholof. *l. c.* consentes, tales fructus in foro conscientiæ non esse necessariò restituendos, quod ipsum magis certum tradit Azor. *l. c.* si neque mutans, neque mutuarius ob negligentiam suam fructus ullos percepisset. Tertiò: usurarius præter usuras restituere debet, omne damnum, quod mutuarius passus est, ob solutionem usurarum, dum v. g. coactus fuisse, vendere agrum suum, vel accipere mutuum sub aliis usuris, Tholof. *l. c. n. 6.* Azor. *l. c.* imò & lucrum cessans mutuario, eò, quòd solverit usuras, ut Zoësius *Comment. in Decretal. b. t. n. 28.*

*Quæst. 367. An & qualiter Judei teneantur ad restituendas usuras?*

**R**esp. Tenentur ad eas restituendas jure naturali ac divino; quia ab utroque jure usuræ sunt damnatæ, sicutque ad eas à Christianis extortas restituendas subtractione communitatis Christianorum, vel aliter per Principes & potestates sæculares compellendi, utpote quorum temporali jurisdictioni subjiuntur, prout statuitur *c. post miserabilem. & c. quanto amplius. b. t.* ubi tamen ex eo, quòd dicantur compellendi ad graves & immoderatas usuras restituendas, non rectè inferitur à sensu contrario: eos non compellendos ad restituendas moderatas, ut Pirh. *num. 108.* Wiestn. *b. t. num. 49.* quia *c. post miserabilem.* indiscriminatim dicuntur compellendi ad usuras restituendas, quod, etsi intelligendum videri posset de moderatis, juxta taxam in locis, ubi vivunt inter Christianos, nil tamen obstat, quòd minùs illis in territorio Ecclesiæ temporali, vel aliorum Principum Christianorum provinciis verum aut quali domicilium habentibus, adeoque illorum & ipsius Papæ jurisdictioni subiectis usurarium exercitium absolute prohiberi, & remissio, restitutioque illarum imperari queat, quin & præcipi Christianis Principibus, in quorum territoriois degunt, ne tolerant injustitias & injurias, quas Judæi inferunt, ut Glor. *in c. post miserabilem. v. Principes.* Vivian. & Barbol. *ibidem à n. 5.*

*Quæst. 368. An & qualiter cooperantes ad usuras exigendas vel solvendas, teneantur eas datas restituere?*

**R**esp. Omnes, qui ex parte mutuantis sunt causa efficax exactionis & solutionis usurarum peccare & obligari ad restitutionem earum, saltem secundo loco, id est, si ipse usurarius non vult, aut non potest restituere, habet communis; quam sentiantur Mol. *tr. 2. d. 331. n. 1.* Azor. *cit. l. 5. c. 17. in princ. Less. cit. c. 20. d. 21. n. 178. & 184.* Pirh. *b. t. n. 114.* contrarium, seu non teneri ad restituendas usuras, qui ex parte mutuarii cooperantur adeas solvendas, nisi quando, & eo modo, quo mutuarius peccat ratione scandali eas solvendo, tenent cit. AA. quamvis id ipsum distinguat de Lugo *l. c. §. 11. n. 214.* ita, ut velit cooperantes ex parte mutuarii eo graviter invito teneri ad restitutionem, secus si cooperentur eo non invito, sed jam determinato ad solvendas usuras, quia injustitiam non committunt. Unde jam Principes, Judices, domini temporales lege inducentes, vel approbantes usuras, (intellige, immoderatas) vel compellentes subditos debitores ad præmissas usuras solvendas, vel prohibentes aut impediendes, ne usuræ solutæ repetantur aut restituantur, datas restituere tenentur in solidum, si usurarius restituere nequit, aut non possit, Sylv. *v. usura. 9. q. 22.* Azor. *l. c. q. 4. Less. l. c. n. 179.* Mol. *l. c. d. 331. num. 5.* Pirh. *n. 115.* juxta *Clem. unic. b. t.* tales cooperationes sub excommunicatione prohibentem, secus, si solum permittant exerceri usuras ad vitanda graviora incommoda, nullum præstantes ad eas auxilium, aut de iis & peccato quicquam participant. Quinimò posse ex dispensatione S. Pontificis supremos Principes cogere suos subditos ad solvendas usuras promissas, indicat Nav. *l. 5. conf. 33. b. tit.* apud Pirh. *l. c.* testans in toto statu ecclesiastico etiam Romæ compelli Christianos ad solvendas usuras Judæis promissas, & Judæos non compelli ad eas solvendas Christianis, quod ipsum tamen intelligendum de compulsionem ad usuras, non quæ debitas vi mutui, (hoc enim intrinsecè malum est, & contra jus naturæ) sed ob alias causas justas & publicas id exigentes, quæ compulsio licita est, & inducit obligationem solvendi. Lugo *l. c. §. 11. n. 219. in fine.* Item consulens & persuadens alteri aliàs gratis mutuaturus, ut mutet sub usuris, vel confirmans aliquem in proposito mutandi sub usuris, tenetur ad restituendum in solidum in defectum mutuantis, quia consilio suo est causa damni mutuatorio. Sylv. *v. usura. 7. q. 2.* Azor. *cit. c. 17. q. 1.* Pirh. *n. 16.* Item Notarius faciens scienter instrumentum, in quo sub specie liciti contractûs, sive sub nomine alterius debiti paliantur usuræ, ita, ut postea mutuarius re ipsa cogatur solvere usuras, peccat contra justitiam, & tenetur mutuatorio restituere usuras, si eo invito, seu inscio, & non consentiente, secus, si eo consensio, consentiente & petente fecit tale instrumentum, quia non fecit ei injuriam, uti etiam ad hoc non tenetur, si instrumentum ab eo factum contineat contractum usurarium, quia vi talis instrumenti non potest mutuarius in judicio cogi ad solvendas usuras. Azor. *l. c. q. 6.* Less. *l. c. n. 180.* Idem de testibus (utpote sine quibus non valet instrumentum) secundum datam distinctionem dicendum, ut Sylv. *l. c. 7. q. 9.* Azor. *l. c. q. 7.* Pirh. *l. c.* Item ad restituendum in solidum in defectum usurariorum tenentur Judices, Procuratores, Ad-

vocat.